

*Qua sit certitudo scientia possibilium, &c 29*

perferuntur vim illius causæ: ac tum effectum illum pronunciamus possibilem, aut impossibilem, idque tam certo, quam certo novimus vim talis causæ? Quia verò sicut se habet vis particularis ad aliquem effectum particularem, ita se habet vis tota causæ ad illius effectus omnes posibles, bene sequitur sufficere comprehensionem causæ ad certam omnium effectuum illius possibilem cognitionem. Jam verò sic prosequor argumentum, & dico. Atqui essentia Divina est causæ quædam universalis, quæ pro suis affectibus habet res omnes posibles.

Et rursus ratio hæc est; quia nulla res possibilis est à se possibilis, ideoque non est possibilis, nisi in ratione effectus: unde fit ut res omnes posibles non sint, nisi effectus posibles universalis cujusdam causæ. Quæ est autem causa illa, nisi Divina essentia, quæ à se est, & ideo tam pro effectu suo habet quidquid est, quàm ipsa esse nullius anterioris causæ effectus potest? Igitur rectè jam concludetur sufficere ad certam cognitionem de omnibus generatim rebus possibilibus habendam, essentia Divina comprehensionem; ac præsertim illius comprehensionem in ratione primi entis participabilis; quia sub hæc ratione præsertim habet titulum ac dignitatem causæ tribuentis participationem sui, & in hunc modum efficiens quidquid efficitur.

Afferri possent in hunc locum multa, quæ alibi dicta sunt, ubi disquirebatur quid sit maximè proprium Deo, & ubi fuisse probatum fuit nihil esse Deo magis proprium, quàm ipsum esse, & ex adverso illatum nihil esse creaturis magis proprium, quàm non esse, etiam quando sunt; quia tam modicum est id, quod sunt, ut si cum eo, quod non sunt, comparatur, pro nihilo habeatur. Jam verò si ferè nihil sunt, quando sunt, quid erunt, quando non sunt, sive quando sunt in statu possibilitatis? Tum sanè nihil sunt; sed quia nihilominus possunt esse aliquid, possunt utique esse aliqua modicissima portio illius totius entis, quod Deus est. Unde fit ut quamvis simplicissimum sit esse Divinum, possit tamen ac debeat concipi veluti totale quoddam ens complectens particularia entia possibilem omnia, id est, particularium entium possibilem omnium rationes per illa participabiles, sive imitabiles, in gradu quodam ac statu determinato, cujus illa capacia fuerint infra gradum ac statum Divinum, ad quem quinino nulla creatura potest conscendere.

nosferentur  
omnes effectus  
illius  
particulares  
possibiles.

XIII.  
Atque ita  
Deus comprehendendo  
suam essentiam, videt  
in ea omnes  
res posibles,  
quæ utique  
sunt effectus  
possibiles.

XIV.  
Possibilitas  
rei nihil est,  
nisi quædam  
participabilitas  
essentia  
Divina.

Vide Tract.  
1. Diss. 2.  
Art. 5.